

Flumina.

Montes.

Silva.

Regio unde di-
ctæ.

qui primæva quidem institutione Laureaci, tum Patavii, rerum vicissitudine huc translatus fuit. Habet hæc Vrbs paludes, planiciem, colles & montes. Paludes præbent pascua, montes aucupia & venationes nonnullas. In hac Vrbe Sepulchrum visitur Theophrasti Medici celeberrimi in Nosocomio apud S. Sebastianum cum tali Epicedio: *Conditur hic Philippus Theophrastus insignis Medecine Doctor, qui dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropisim, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit, ac bona sua in pauperes distribuenda colligandaque ordinavit. Anno M.D.LI. die 24 Septemb. vitam cum morte commutavit.* Fluminibus ac rivulis innumeris propemodum rigatur hæc regio, qui ex Montibus scaturiunt. *Anassus* fluvius in Septentrionem defluit, quem *Alzius*, *Saltzius*, *Matichius*, suis aquis augent. *Traunus* ibidem ex Lacubus oritur. Hinc etiam *Mur* & *Dravus* nobilis amnis oriuntur, quem posteriorem Plinius nominat lib. II cap. XXV eumque ex Noricis fluere tradit. Reliqui ignobiliores rivuli in hos quos modo nominavi effunduntur. Ditio omnis montosa, jugisque Montium, quæ adcolæ *Tauru* vocant, aspera. Hinc ista sunt, *Radstatterthurn*, *Felbergthurn*, *Kornthurn*, *Casteinertthurn*, multique alii adeo alti, ut, qui media ætate eos conscendunt quum ad verticem perventum est, frigore infestentur; nullus curribus locus, angusti calles, adeoque interdum præcipientes, ut vix jumento clitellario etiam adsueto iter sit, grandia vero pericula scandentes maneant, quum aut subito exorti venti in præcipitia homines abripiant, aut immensi convolutarum nivium globi silvas, saxa, jumenta, atque etiam domos vicinas sæpe obterant. Ex his Montibus Amnes frequentes defluunt, de quibus supra meminimus. Montes etiam præter supra dictos *Tauros*, habet in Meridiem versus, Alpes quos *Albi* ipsi vocant: variis quoque cognomentis adscitis, ut *Villacher Albi*, *Swanberger Albi*, &c. Item *Creutzbergum* Montem, *Lettachbergum*, & in Oevina valle metalliferos de quibus sic cecinit Conradus Celtes lib. A. morum II ode VI.

*Qui mihi de celsis nuper fuit Alpibus actus
Oenus ubi, atque Athesis murmura rauca facit.
Argenti æterno scaturit qua vena Metallo,
Et ditat totam patriam Alemanicam.
Hic halant liquido, puro & de fonte Salina.*

Ditantes Bavaros, Austriacosque Duces.

*Hic turba est terra nigraque simillima morti,
Qui solvunt vastis ignibus æra suis.
Haud credas nostris decocta Metalla per ignem,
Sed Phleget ont eis mundificata vadis.*

Silvis quoque hic Episcopatus non destituitur. *Hardionem* enim, *Henhardum* & *Weyhardum* Silvas ad Septentrionem positas habet. Verum de Episcopatu Salisburgensi hæc jam dicta sufficient; reliquum est ut de Carinthiæ Ducatu quem hujus Tabulæ titulus etiam præ se fert, nonnulla dicamus.

Carinthiæ Ducatus.

CARINTHIA vel *Carnithia* (quod Rithaymero auctore rectius scribitur) a *Carnis* populis nomen suum obtinuisse videtur, qui vetusti ejus loci Incolæ sunt, utpote quorum & Plinius & reliqui in hoc loco